Fragmentarium

VIII B 20/10

[illegible] et procel
lam quam nec oculus uidebit hominis. Nam
plurima opera illius sunt in absconsis.
Sed opera iustitie eius quis enuntiabit.
aut quis sustinebit? Longe enim est
testamentum a quibusdam. et interro
gatio hominum in consummatione est.
Qui minoratur corde cogitat inania. et uir
imprudens. et errans cogitat stulta.
Audi me fili et disce disciplinam sensus. 1568
et in uerbis meis attende in corde tuo.
et dicam in equitate disciplinam. et scru
tabor enarrare sapientiam. et in uerbis
meis attende in corde tuo. et dico in equi
tate spiritus uirtutes. quas posuit deus in opera
sua ab initio. et in ueritate enuntio sci
entiam eius. In iudicio dei opera eius
ab initio. et ab institutione ipsorum distinxit
partes illorum. et initia ipsorum in gentibus
suis. Ornauit in eternum opera illorum
nec esurierunt. nec laborauerunt. et non
destiterunt ab operibus suis. Unusquisque
proximum sibi non angustiabit usque in
eternum. Non sis incredibilis uerbo illius.
Post hec deus in terram respexit. et im
pleuit ~~illam~~ bonis suis. Anima omnis
uitalis denuntiauit ante faciem ipsius.
et ipsa iterum reuersio illorum. Deus
creauit de terra hominem. et secundum
imaginem suam fecit illum. et iterum
conuertit illum in ipsam. et secundum se
uestiuit illum uirtute. Numerum di
erum et tempus dedit illi. et dedit
illi potestatem eorum que sunt super terram.
Posuit timorem illius super omnem
carnem. et dominatus est bestiarum
et uolatilium. Creauit ex ipso adiuto
rium simile sibi [illegible] et linguam
et oculos et aures. et cor dedit illis
excogitandi. et disciplina intellectus

repleuit illos. Creauit illis scientiam
spiritus. sensu impleuit cor illorum. et mala
et bona ostendit illis. Posuit oculum
suum super corda ipsorum. ostendere
illis magnalia operum suorum. ut nomen
sanctificationis collaudent. et gloriari in mi
rabilibus illius. ut magnalia enarrent
operum eius. Addidit illis disciplinam
et legem uite hereditauit illos. Testamentum
eternum constituit cum illis. et iustitiam
et iudicia sua ostendit illis. et magna
lia honoris eius uidit oculus illorum. et
honorem uocis audierunt aures illorum.
et dixit illis Attendite uobis ab omni iniquo.
Et mandauit illis unicuique de proximo.
Vie illorum coram ipso sunt semper. non sunt
absconse ab oculis ipsius. In unamquamque
gentem preposuit rectorem. et pars dei
israel facta est manifesta. et omnia opera
illorum uelut sol in conspectu dei. et oculi
eius sine intermissione inspicientes in
uiis eorum. Non sunt absconsa testamenta
per iniquitatem eorum. et omnes iniquitates
eorum in conspectu dei. Elemosina uiri quasi
sacculus cum ipso. et gratiam hominis
quasi pupillam conseruabit. et postea
resurget. et retribuet illis retributionem
unicuique in caput ipsorum. et conuertet
in inferiores partes terre. Penitentibus
autem uiam dedit iustitie. et confirma
uit deficientes sustinere. et destinauit
illis sortem ueritatis. De conuersione ad dominum.
Conuertere ad dominum. et relinque pec
cata tua. Precare ante faciem domini. et
minue offendicula. Reuertere ad do
minum. et auertere ab iniustitia tua
et nimis odito execrationem. et cognosce
iustitias et iudicia dei. et sta in sorte
propositionis. et orationis altissimi dei.
In partes uade seculi sancti cum ~~uiuis~~ iustis et

License: public_domain – Leuven, Archief van de Abdij van Park, VIIIB20/7, VIIIB20/8, VIIIB20/9, VIIIB20/10, VIIIB20/11, VIIIB20/12, VIIIB20/13, VIIIB20/14, VIIIB20/15, VIIIB20/92, VIIIB20/94, VIIIB20/97, VIIIB20/98, VIIIB20/104, VIIIB20/115, VIIIB20/116, VIIIB20/117, VIIIB20/164, VIIIB20/183, VIIIB20/10, fol. [1]v – Bible (https://fragmentarium.ms/view/page/F-bcyo/9157/68099)